

QUAESTIONES IURIS CANONICI LATINOS ET ORIENTALES RESPICIENTES

(DE FIDELIS ADSCRIPTIONE RITUI, ET DE MATRIMONII CELEBRATIONE)

Eminentissime ac Reverendissime Domine:

Memor benevolentiae Vestrae, cum antea responsiones dederis pluribus dubiis, respetuose rogo ut velis etiam sequentia dubia solvere:

Joseph, maronita, vult mulierem ducere acatholicam, sed baptizatam in secta. Joseph habitat in urbe ubi adest parochus maronitus, et cum parochus de contrahendo matrimonio agit.

Parochus alia omnia de more praeparat; sed dicit se non adfuturum esse in urbe die electo et statuto caeremoniae, ideoque litteras mittit loci parochus latino in quibus licentiam dat ut iste latinus matrimonium benedicat.

Parochus autem latinus dubitat de validitate talis delegationis, et verbum facit cum Exc.mo Ordinario Dioeceseos.

Exc.mus Ordinarius jurisdictionem in viro maronito exercens, delegat ad matrimonium celebrandum parochum loci latinum; qui postea benedicat matrimonium in ritu latino.

Nunc autem plures canonistae urgent:

1) parochum maronitum invalide agere si conetur delegare parochum latinum, in casu de quo supra;

2) etiam Ordinarium latinum invalide agere si similiter conetur delegare parochum latinum.

Cum tales casus non raro nostris in regionibus inveniuntur, spero Emimentiam Vestram velle principia de validitate mihi exponere.

S. Purpuram reverenter deosculans, maneo

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus.

Archiepiscopus N. N.

Emm.mo ac Rev. mo

EUGENIO Cardinali TISSERANT.

S. C. pro Ecclesia Orientali, a Secretis.

CLEMENS PUJOL

SACRA CONGREGATIO "PRO ECCLESIA ORIENTALI"

Prot. Num. 127/49

Roma, 27 m. novembris an. 1952.
Via della Conciliazione, 34.

Excellentissime Domine,

Epistulae Tuae diei 19 m. novembris c. a. qua huic Sacrae Congregationi nonnulla subbiiciebas dubia necnon matrimonialem casum, haec, studiose perspecta, rescribo:

1) Ad primum: An parochus ritus antiocheni maronitarum facultatem dare possit parochi ut latino matrimonio de quo in casu assistat?

R.—Parochus antiocheni maronitarum ritus cum supponatur abesse tempore celebrationis, delegare potest quemvis sacerdotem ut matrimonio de quo in casu in ecclesia antiocheni maronitarum ritus assistat (can. 87, § 1, n. 1; Motu proprio *Crebrae allatae*).

Insuper idem parochus delegare potest parochum paroeciae latinae eiusdem territorii, ut matrimonio de quo supra assistat in ecclesia latini ritus: quod enim facere per se potest, de consensu expresso rectoris ecclesiae latini ritus in eodem territorio existenti, facere potest per alium (Acta Apost. Sedis, 4 m. augusti an. 1952).

2) Ad secundum: An Ordinarius latini ritus facultatem dare possit parochi latino ut matrimonio de quo in casu assistat?

R.—Deficiente in Dioecesi N. N. Hierarchia antiocheni maronitarum ritus, Ordinarius latini ritus, eodem modo ac pro latinis, facultatem dare potest Sacerdoti cuiusvis ritus ut matrimonio de quo in casu assistat (can. 86, § 3, n. 3; can. 87, § 1, n. 1; Motu proprio *Crebrae allatae*).

Delegatio parochi latino licite data est cum abfueri, etsi ad tempus, parochus sponsi.

Ocassione data, meam tibi sinceram devotionem exprimo.

S. † EUGENIUS Card. TISSERANT.

a Secretis.

S. † V. VALERI.

Adsessor.

* * *

Em.me ac Rvd.me Domine :

Eminentiae Vestrae Reverendissimae ac Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali refero casus de quibus infra, rogans ut Sacra Congregatio velit mihi dare principia solutionis.

I. Titus, orientalis dissidens, anno 1941, attentavit matrimonium civile cum Anna, latina, ac postea tres habuit filios. Nunc vero, poenitentia ducta, Anna implorat convalidationem talis matrimonii, dum vir dissidens sincere subscribit cautionibus. Unde quaeritur :

1) An convalidatio matrimonii celebranda sit coram parochi orientali (vi canonis 1.097, § 2) etiamsi vir maneat dissidens, vel potius coram parochi latino mulieris, quae sola fidem et communionem catholicam profiteatur?

2) Matrimonio convalidato, an filii, ante illegitimi, et nunc legitimi, adscribendi sint ritui orientali, vel potius ritui romano matris?

II. Titius, orientalis dissidens, vult contrahere cum Anna, catholica latina; et strenue rogat ut celebratio matrimonii fiat in ecclesia orientali sive dissidente sive catholica; renuit comparere coram parochi latino mulieris. Unde quaeritur :

1) An parochus latinus ius habeat celebrandi tale matrimonium, ita ut parochus orientalis catholicus debeat licentiam obtinere parochi latini, si velit licite matrimonio assistere?

2) An parochus orientalis, tali in casu, iurisdictionem a iure habeat ratione status viri orientalis sed dissidentis; an potius ab Ordinario latino tali parochi concedenda sit iurisdictio et licentia?

III. Titius et Anna, ambo orientalis catholici, ex infantia adolescebant in populo latino et semper adibant ecclesiam latinam, quia omnino ignorabant linguam et mores orientales. Matrimonium volentes contrahere, omnino renuunt coram parochi orientali comparere; ideoque parochus orientalis benigne concedit parochi latino licentiam ut matrimonio assistat in ecclesia latina et in ritu latino. Unde quaeritur an tale matrimonium duorum orientalium coram parochi latino habendum sit validum, ratione actionis parochi orientalis?

IV. Titius natus est ex patre orientali dissidente et matre latina, anno 1932. Anno autem 1930 pater ejus et mater, datis cautionibus consuetis,

contraxerunt coram parochō latino matris. Non obstantibus istis cautionibus, pater curavit ut Titius baptizaretur in ecclesia orientali dissidente. Exinde, pater mortuus est, et mater curavit ut Titius frequentaret ecclesiam latinam, ita ut Titius numquam comparuisset in ecclesia ulla orientali. Nunc vero, Titius vult contrahere cum catholica latina; et quaerietur an Titius adscribendus sit ritui orientali ita ut matrimonium contrahendum sit coram parochō orientali.

S. Purpuram reverenter deosculans, maneo
Eminentiae Vestrae Reverendissimae addictissimus,

Archiepiscopus N. N.
Curiae Cancellarius.

Emm.mo ac Rev.mo
EUGENIO Cardinali TISSERANT.
S. C. pro Ecclesia Orientali, a *Secretis*.

Roma, die 11 m. Iulii a. 1952.

SACRA CONGREGATIO "PRO ECCLESIA ORIENTALI"

Excellentissime Domine:

Epistulae Tuae qua huic S. Dicasterio nonnulla subiiciebas dubia necnon matrimoniales casus, haec, studiose perspecta, rescribo:

1. Ad primum: Titius, orientalis dissidens, anno 1941, civile attentavit matrimonium, etc...

R.—Matrimonii convalidatio facienda est coram parochō latini ritus. Proles antea suscepta ritui latino adscribenda est (can. 756, § 3 C. I. C.).

2. Ad secundum: Titius, orientalis dissidens, cum Anna catholica latina contrahere vult...

R.—Parochus latini ritus facultatem concedat sacerdoti orientalis ritus assistendi matrimonio de quo in casu in ecclesia latina aut in loco suae iurisdictionis. Haec facultas ad validitatem et ad licitatem necessaria est.

3. Ad tertium: Titius et Anna, ambo orientalis catholici...

R.—Si in territorio adsit parocchia canonice erecta ritus contrahentium et nupturientes subditi sint Ordinario loci latini ritus, parochus ritus latini nequit valide matrimonio assistere sine facultate eiusdem loci Ordinarii.

Quod si in eodem territorio adsi Hierarcha loci ritus nupturientium, facultas matrimonii celebrandi coram parrocho latino et in ecclesia latina a S. Sede concedenda est.

4. Ad quartum: Titius natus est ex patre orientali dissidente et matre latina...

R.—Titius ad ritum latinum certe adscriptus est (can. 765, C. I. C.).
Ocassione data, meam, Tibi sinceram devotionem exprimo ac maneo

Excellentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus uti frater
(pro E.mo Cardinali *a Secretis*),

† VALERIO VALERI
Adsessor.

* * *

COMMENTARIUM

In ephemeridibus "The Jurist" (1) publici iuris factae sunt Litterae, huic nostro commentario praemissae, quibus die 11 iulii 1952 hodiernus Em.mus. Cardinalis V. Valeri, tunc Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali Adessor, nomine Cardinalis eiusdem Sacrae Congregationis *a Secretis*, ad quaedam dubia orientales respicientia solutionem dabat. Ista Litteras, seu potius responsa in illis contenta breviter declarare, nobis statui-mus.

Dubia Sacrae Congregationi proposita duas praesertim quaestiones considerabant: quaestionem de ritu et de fidelium determinato ritui adscriptione, et aliam de matrimonii celebratione. In utraque quaestione plures effingebantur casus, quibus occasio praebatur Sacrae Congregationi, non solum in memoriam revocandi quae iam in iure statuta sunt, sed etiam declarandi aliqua quae fortasse non adeo perspicue in eo inveniebantur. Casus propositi, praeterea, maxime in iis quae ad matrimonii celebrationem attinent, eorumque solutiones non parum inserviunt ad definienda iura et officia quae, attenta duplici legislatione canonica, latina et orientali, hodie vigente, Ordinariis et parochis, sive latinis sive orientalibus competunt, quoties cum fidelibus alieni ritus agere debent.

Quoniam vero fideles orientales hodie fere ubique inveniuntur, et quaestiones quae hic tractantur saepe valorem, non solum liceitatem, matrimonii attingunt, quantum omnium, Ordinariorum et parochorum, haec noscere intersit, in comperto est.

Ut autem in nostra expositione clare procedamus, principia quae ad ritum et ad fidelium ritui adscriptionem se referunt summam proponemus; deinde, ea etiam principia quae ad propositos casus de matrimonii celebratione faciunt declarabimus; quibus positis, de singulis responsis a Sacra Congregatione datis, brevissime rationem dabimus.

I

DE RITIBUS ET DE FIDELIUM RITUI ADSRIPTIONE

In Ecclesia catholica plures esse ritus, omnibus notum est. Etenim, praeter ritum latinum, qui etiam alios (ambrosianum, mozarabicum, roma-

(1) "The Jurist", 1952, pp. 475-477.

num) comprehendit, ritus existit orientalis, seu melius, plures existunt ritus orientales. In Motu proprio *Postquam Apostolicis Litteris* die 9 februarii anni 1952 a Pio XII dato, quo novum ius de Religiosis, de Bonis Ecclesiae temporalibus, cum tertia quadam parte "De Verborum significatione", pro Ecclesiis Orientalibus promulgabatur (2), expresse dicitur: "Can. 303, § I, n. 1: Ritus orientales de quibus canones decernunt sunt alexandrinus, antiochenus, constantinopolitanus, chaldaeus et armenus, alique ritus quos uti sui iuris expresse vel tacite agnoscit Ecclesia" (3). Etiam ante laudatum Motu proprio, communiter recepta erat illa enumeratio quae illos quinque ritus tanquam fundamentales seu stipites comprehendebat, simul cum aliis ritibus qui sub unoquoque eorum continebantur (4).

Omnis Ecclesiae pars suum habet ritum, et omnes et singuli ritus dignitate et honore sunt aequales, nec ullus ritus ceteris praestat. Ritus latinus non est supra ritus orientales, neque orientalis ritus supra latinum, cum omnes eodem honore iisdemque iuribus gaudeant. Quoniam, vero, ritus importat, praeter partem liturgicam, determinatam quoque disciplinam qua illa pars Ecclesiae regitur, et aliunde unaquaeque pars Ecclesiae una tantum disciplina, uno tantum ordine iuridico, non duplici, regatur oportet, necessario sequitur, quod ritus sunt ad invicem exclusivi, nec per se aliquis fidelis potest duobus ritibus simul adscribi (5). Iure igitur canon 98, § 1 Codicis Iuris Canonici praecipit, ut unusquisque fidelium determinato ritui adscribatur.

Effectus huius adscriptionis est, inter alios, determinare quibus legibus et quibus normis vita ecclesiastica fidelium regenda est; eo ipso quod quis determinato ritui adscriptus manet, subiicitur disciplinae in illo ritu et in illa particulari Ecclesia vigenti, necnon et hierarchiae illius ritus propriae. Huius ritus praescriptionibus fideles tenentur per se etiam extra proprium territorium, cum ritus sit personalis quoque, ac proinde personae adhaerens, eamque ubique ligans, in iis praesertim quae statum personalem, ut sunt praescripta de matrimonio, respiciunt. Notum tamen est, hodie et ob bonum animarum, non parvam mitigationem admissam esse in hac materia de

(2) A. A. S., 44 (1952), 65-150.

(3) L. c. p. 144.

(4) Ritus derivati plus minusve distribui possunt modo sequenti:

Constantinopolitanus, seu byzantinus, qui continet ritum graecum purum, italo-albanensem, melchiticum, georgianum, bulgaricum, yugoslavum, ruthenum, rassicum, hungaricum, romenum; *antiochenus*, comprehendens ritum syrum purum, maroniticum et malancharensem; *alexandrinus*, qui ritum coptum et aethiopicum complectitur; *chaldaeus*, sub quo veniunt ritus *chaldaeus* et ritus malabarensis. Ritus armenus derivatos non habet.

(5) HERMAN: *De "Ritu" in Iure Canonico*, apud "Orientalia Christiana", XXXII (1933), pp. 108-109; COUSSA: *Epitome Praelectionum de Iure ecclesiastico orientali* (Romae, 1948), n. 32.

obligatione servandi extra proprium territorium et extra regiones orientales praescripta proprii ritus in omnibus rebus disciplinariis; quare fideles aliqua in alieno ritu peragere et adimplere facile possunt, et in determinatis adiunctis quoque tenentur (6).

Cum unusquisque ritum suum a momento quo in Ecclesiam cooptatur recipiat, apte, tamquam criterium ad ritum uniuscuiusque determinandum, baptismus assumitur, non quidem tantum in sua essentia, sed potius in suis caeremoniis, seu secundum suam liturgicam administrationem (can. 98, § 1 C. I. C.). Immo, quoniam si sola baptismi administratio de facto attenderet, in pluribus casibus non pauca incommoda oriri possent, criterium adaequatum ad determinandum ritum per baptismum, non est baptismus quo quis *de facto* baptizatus est, sed potius quo quis baptizari *debet vel debet*. Id clare eruitur ex diversis exceptionibus in eodem canone 98, § 1 Codicis Iuris Canonici statutis, una cum declaratione Commissionis Interpretis diei 16 octobris 1919 (A. A. S. [1919], 478) (7).

Immo, ex iis clare quoque apparet, unumquemque, etiam ante baptismum susceptum, iam proprium quemdam ritum "nativum" quodammodo habere, simul cum iure ut baptizetur, ita ut isti "nativo" ritui revera adscribatur. Quisna vero sit iste "nativus" ritus, dicitur in canone 756 Codicis Iuris Canonici, quatenus praescribitur, ut proles ritu parentum baptizetur (§ 1) (8). Proles, ergo, ab ipsa nativitate tamquam proprium habet ritum parentum, eique per baptismum est adscribenda. Quod si parentes, non ad unum eundemque ritum, sed ad diversum pertinent, ita ut alter ad ritum latinum, alter ad ritum orientalem pertineat, proles baptizanda est secundum ritum patris (§ 2), nisi aliud iure particulari caveatur (9). Si ambo parentes catholici ad diversos ritus orientales pertinent,

(6) Cfr. Decretum de spiritali administratione graeco-ruthenorum in Stat. Foederat. Americae Septentrionalis, diei 1 martii an. 1929, A. A. S., 21 (1929), 152, c. III; Decretum de spiritali administratione graeco-ruthenorum in regione Canadensi, diei 24 maii an. 1930, A. A. S., 22 (1930), 346, c. III; HERMAN, O. C., pp. 115-116; Id.: *Annotationes* (ad allatum Decretum pro graeco-ruthenis in Stat. Foed. A. S.), in "Periodica de re Morali...", XVIII (1929), p. 207; COUSSA, O. C., n. 22. In citatis Decretis principium memoratur, quod aliunde pro omnibus fidelibus cultus ritus valet: "Fideles graeco-rutheni tenentur frequentare ac libenter sustentare suas proprias ecclesias, ac observare praescripta sui ritus", n. 28 (Americ. Sept.), n. 33 (Canada).

(7) WERNZ-VIDAL: *Ius Canonicum-De Personis*, n. 23.

(8) Hac § 1.º sublata censetur facultas a Benedicto XIV italo-graecis concessa baptizandi proprios filios in ritu latino de consensu Ordinarii (*Etsi Pastoralis*, § 2, n. 8); sed non videtur abrogata facultas concessa orientalibus a S. Congreg. de P. F. Decreto diei 20 nov. an. 1838 (*Collect.*, I, n. 878), quod respicit habitudines orientalium inter se.

(9) Exceptio de iure particulari habetur apud italo-graecos, qui si mulier est latina, possunt prolem ritu matris baptizare, patre graeco consentiente (*Etsi Pastoralis*, § 2, n. 9); *Simodo Intereparchiale delle Eparchie di Lungro e Piana degli Albanesi e del Monastero esarchico di S. M. di Grottaferrata*, 1940, art. 166. Apud ruthenos Galiziae, proles familiae mixti ritus, seu latino-ruthense, baptizatur secundum ritum parentum pro diverso sexu, seu, filii in ritu patris,

norma deest in Codice Iuris Canonici, neque habetur praescriptio generalis in iure orientali, sed consuetudo generalis est ut infans baptizetur ritu patris. Huic consuetudini favet praxis Sanctae Sedis, prout apparet in Decretis datis pro administratione spirituali graeco-ruthenorum in Canada et in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis (10). Si vero unus parentum est catholicus, alter acatholicus, absolute praefendus est ritus partis catholicae, et secundum huius ritum proles est baptizanda (§ 3), etiam independenter a cautionibus quae exigi et dari debent ante matrimonium cum dispensatione ab impedimento mixtae religionis celebrandum (can. 1.061 C. I. C., et can. 51 de Matrimon. orient.). Si proles, contra hoc iuris praescriptum, per abusum in ritu partis acatholicae aut a ministro acatholico, etiam utroque parente consentiente, baptizaretur, adhuc adscripta maneret ritui partis catholicae. Illegitima, tandem, proles per se ritum matris sequitur, huiusque ritum est baptizanda; ita postulare videtur ipsa rei natura, cum pater ignoretur, et ita praescribitur in laudatis decretis pro graecoruthenis (11); excipitur fortasse casus, in quo proles a patre publice agnoscitur, et hic illius curam et educationem in se suscipit: in hoc casu, iuxta aliquos, ritu patris esset baptizanda (12).

Ritum semel iure acquisitum retinet unusquisque semper, nec potest proprio arbitrio, sed solum de licentia competentis auctoritatis ecclesiasticae, ab uno ad alium ritum transire (can. 98, § 3 C. I. C.). Haec competens auctoritas, quando agitur de transitu a ritu latino ad orientalem, vel de orientali ad latinum, sive agatur de clericis sive de fidelibus, hodie vi Decreti *Quo firmior*, diei 23 novembris 1940 (A. A. S. [1941], 28), una est Sancta Sedes, quae has causas directe et immediate per Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientale tractat, abrogata facultate qua vi Decreti *Nemini licere*, diei 6 decembris 1928 (A. A. S. [1928], 416) Delegati Apostolici gaudebant in favorem fidelium, non autem sacerdotum, ad alium ritum transire optantium.

Ubi vero agitur de transitu a ritu orientali ad alium ritum orientalem, criterio peculiari attento, et iam olim a Sacra Congregatione de Propa-

filiae in ritu matris; excepta prole sacerdotis, quae integra sequi debet ritum patris (S. Congreg. de P. F., 6 oct. 1863, D. c), *Coll. I*, n. 1.249). Hoc Congreg. de P. F. Decretum, quod nomine "Concordia inter latini et rutheni ritus fideles" noscitur, prout constat ex Litteris a S. Congreg. p. E. O. Metropolitanae Leopolitano Szeptycki datis, vim suam retinet etiam post C. I. C. Cfr. HERMAN: *Baptême en Orient*, in "Diction. de Droit Canoniq.", II, col. 199).

(10) N. 41 (Americ. Sept.); n. 47 (Canad.).

(11) N. 43 (Americ. Sept.); n. 48 (Canad.).

(12) HERMAN: *Baptême en Orient*, l. c.

ganda Fide adhibito (13), requiritur Sanctae Sedis beneplacitum quoties transitus fit ad ritum in quo in alia specie Eucharistia consecratur (azima vel fermentata); si in utroque ritu, a quo et ad quem, eadem adhibetur species consecranda, sufficit consensus Episcopi a quo et Episcopi ad quem.

Facultas transeundi ad alium ritum a iure conceditur in casu particulari matrimonii mixti ritus (can. 98, § 4 C. I. C., et Respons. Comm. Interp. diei 29 aprilis 1940 (A. A. S. [1940], 212); ubi tamen notandum est, huiusmodi facultatem intelligendam esse de ritu catholico mariti, ita ut si maritus sit dissidens, uxori non liceat, vi citati canonis, ad ritum orientalem catholicum ritui acatholico respondentem transire: canon enim agit de ritibus catholicis, et in casu matrimonii mixtae religionis seu mariti acatholici, non urget causa, nempe intimior unio animorum, et faciliior educatio filiorum, propter quam ista facultas a iure conceditur (14).

Alii casus admitti solent, in quibus absque speciali seu positiva facultate, et ob rationes magnae convenientiae transitus ab uno ad alium ritum legitime fieri potest. Talis est casus infantis aut etiam impuberis, cuius parentes ritum legitime mutant, aut etiam prolis illegitimae, cuius mater, matrimonio celebrato, ad ritum mariti catholici transit. Ad hanc rem scribit P. COUSSA: "Norma caremus de ritu ad quem pertinere debent filii aetate minores parentum qui ritum legitime mutant. Admitti forte potest ut impuberes cum patre, —vel in matrimonio mixto, cum matre— ad alium ritum transeunte, et ipsi eo ipso transeant; puberibus autem danda est optio sequendi patrem, vel in ritu, cui sunt adscripti, manendi" (15). Haec norma fundatur in bono spirituali filiorum, quorum educatio spiritualis christiana difficilior evaderet, si ad ritum a ritu paterno diversum filii pertinerent.

At causae quae afferri possent ex frequentia alieni ritus, et ex positione actuum vitae christianae iuxta praescripta alieni ritus, non sunt sufficientes per se solae ad mutationem ritus inducendam. Expressam decisionem in materia susceptionis Sacrae Eucharistiae in ritu alieno habemus in canone 98, § 5 Codicis Iuris Canonici, ubi dicitur "Mos, quamvis diuturnus, sacrae Synaxis ritu alieno suscipiendae non secumfert ritus mutationem". In Decretis pro graeco-ruthenis, de quibus supra, explicite permittitur, immo aliquando etiam imponitur frequentia alieni ritus (16), praemissa tamen hac generali animadversione: "Frequentatio ex parte graeco-ruthe-

(13) S. Congre. de P. F., Decretum diei 20 nov. an. 1838, *Coll. I*, n. 878; COUSSA, o. c., n. 27.

(14) HERMAN: *De Ritu mulieris*, in "Periodica de re Morali...", XXIX (1940), pp. 9-10.

(15) COUSSA, o. c., n. 28.

(16) Cf. Decretum pro graeco-ruthenis in Americ. Sept. (nn. 28, 31, 32, 33, 36), et in Canada (nn. 33, 36, 37, 38, 41).

norum, etiam continua, ecclesiarum ritus latini, non inducit mutationem ritus” (art. 29 Amer. Septent.; art. 34 Canad.), et “observantia [scilicet] festorum et ieiuniorum iuxta consuetudinem locorum in quibus degunt] minime inducit mutationem ritus” (art. 36 Amer. Septent.; art. 41 Canad.). Quod valet etiam de latinis ecclesiis graeco-ruthenas aut aliorum rituum frequentantibus.

II

DE MATRIMONII CELEBRATIONE

Ut alteram questionem, quam supra indicavimus, de Matrimonii celebratione, hic tractemus, non omnia quae ad formam attinent percurramus, sed declarationem nostram ita continebimus, ut in iis tantum exponendis immoremur, quae ad rem nostram magis directe faciunt. Haec autem praesertim sunt, declaratio territorii proprii, et declaratio novi requisiti ad valorem matrimonii in canone orientali 86, § 1, n. 2, quod verbis “modo sint sui ritus” continetur.

Iuxta canonem 1.094 Codicis Iuris Canonici “ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram paroco, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, secundum tamen regulas expressas in canonibus qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in cann. 1.098, 1.099”. Iisdem fere verbis exprimitur canon orientalis 85 (17), in quo tamen, immediate post verbum “contrahuntur” legitur “ritu sacro”, ita ut canon sonet “Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur ritu sacro, coram paroco, vel loci Hierarcha...”. “Sacer censetur ritus, prout declaratur in § 2, ad effectum de quo in § 1, ipso interventu sacerdotis adsistentis ac benedictis.” “Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione servantur ritus et caeremoniae in libris liturgicis ab Ecclesia probatis praescriptae aut legitimis consuetudinibus receptae” (can. 91); sed cum ad valorem matrimonii nulla peculiaris benedictio sit praescripta, sufficiet quaelibet benedictio ad rem faciens, quae plerumque erit benedictio liturgica in libris determinata (18).

In canone 1.095, § 1 Codicis Iuris Canonici, et in canone orientali 86, § 1, definitur quando et quibus in condicionibus Ordinarius loci et parochus valide matrimonio assistere possunt. Iis quae in numero 1.º con-

(17) PII XII: *M. p. Crebrae allatae sunt*, A. A. S. (1949), 107.

(18) HERMAN: *Adorationes ad M. p. “Crebrae allatae sunt”*, apud “Periodica de re Morali...” (1949), pp. 110-111. Rationes huius peculiaris ritus sacri in matrimoniiis orientalibus, vid. apud GALTIER: *Le Mariage. Discipline orientale et discipline occidentale* (Beyrouth, 1950), p. 228; modus tamen quo hic auctor explicat verba “sacerdotis adsistentis et benedictis”, tamquam si sufficeret in sacerdote animus benedicendi, etsi de facto, quacumque de causa, non benedicat, nequit admitti: p. 237.

tinentur, praesuppositis, immorandum nobis erit in declaratione numeri 2: "Intra fines dumtaxat sui territorii; in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistunt" [Ordinarius et parochus]; et in canone orientali ita determinatur: "Intra fines dumtaxat sui territorii sive contrahentes sunt subditi, sive non subditi, *modo sint sui ritus*" [Ordinarius et parochus valide assistunt]. Differentia inter duos numeros, latinum et orientalem, habetur in verbis "modo sint sui ritus"; et de hac differentia agemus, postquam aliqua de territorio declaraverimus.

A) *Intra fines dumtaxat sui territorii*

P. VIDAL numerum 2, § I canonis 1.095 Codicis Iuris Canonici ita explicat: "Tam Ordinarii quam parochi competentia restringitur intra limites loci, i. e. respectivae dioecesis vel parociae in qua matrimonium contrahitur, nec sub praesenti disciplina requiritur ad valorem nuptiarum praesentia parochi vel Ordinarii *proprii*, quemadmodum ante Decretum *Ne temere*, sed praesentia parochi vel Ordinarii loci, ubi matrimonium celebratur, adeo ut, coram ipso (vel eiusdem delegato sacerdote) eoque solo, valide contrahatur matrimonium sive subditorum sive non subditorum... Inde autem sequitur, parochum vel Ordinarium non posse ut antea, ex propria competentia valide assistere matrimonio sui subditi extra limites parociae suae vel respective dioecesis" (19). Haec explicatio, quae ceterum ab omnibus Codicis Iuris Canonici commentatoribus tenetur, valet omnino etiam pro iure orientali, cum disciplina orientalis hodierna in hoc puncto cum disciplina latina plene concordet.

Difficultas potius habetur in finibus territorii proprii definiendis, intra quos parochus vel Ordinarius valide matrimonio assistit. Non oritur certe ubi territorium aliquod "integrum" determinato parochi vel Ordinario exclusive subest; sed difficultas enascitur quando in eodem territorio plures cumulantur iurisdictiones, ita ut nemo exclusivam iurisdictionem in eo habeat. Hic casus facile haberi potest in Oriente, in iis territoriis in quibus plures diversi ritus permixtim vivunt, cum propriis Hierarchis, parochis, ecclesiis, etc.; etiam in illis territoriis latinis, in quibus, una cum Ordinario latino pro fidelibus ritus latini, constitutus est quoque Ordinarius orientalis pro fidelibus ritus orientalis. Idem dicatur de parochi. In iis adiunctis, quousque se extendit iurdictio unius Ordinarii, et ubinam incipit iurdictio alterius? Haec quaestio cum agatur de matrimonii validitate, magni est momenti; quod maius adhuc est pro illis locis in quibus versantur permixti fideles diversorum rituum, et unus ritus propriam

(19) WERNZ-VIDAL: *Ius Matrimoniale*, n. 534.

ecclesiam habet, alius vero ea caret. Si, ex. gr., duo fideles rutheni ecclesia careant, et matrimonium in ecclesia inire cupiant, poteruntne illud in ecclesia latina loci contrahere? Quisnam huic matrimonio assistet: parochus latinus an parochus ruthenus?

Commentatores Codicis Iuris Canonici ad canonem I.095, § I, n. 2 quaestionem sibi proponunt quae ad rem nostram facit, scilicet de pluribus parochis in eodem territorio existentibus. Praescindendo hic de parochis stricte personalibus, ut sunt capellani militum, auctores magnae notae censent parochos, qui in uno eodemque territorio curam habent paroecialem diversorum fidelium, gaudere potestate cumulativa in toto territorio, sine distinctione locorum (20); nec quaestionem ad solos fideles latinos restringunt, sed potius eam modo generali proponunt, ita ut etiam fideles rituum orientalium comprehendant. GASPARRI, nixus responso Sacrae Congregationis Concilii, diei 1 februarii 1908, ad 8, affirmat, quemlibet ex iis parochis posse "in toto territorio valide assistere matrimoniis non solum subditorum, sed etiam non subditorum. Et merito; nam quilibet parochus in casu habet iurisdictionem *territorialem* in tota civitate, et *personalem* in suos; hinc intra fines sui territorii matrimoniis non subditorum valide assistit ratione territorialis iurisdictionis" (21). Non agnoscebantur loci "exclusivi", seu exclusivae competentiae unius vel alterius parochi. Similitudinem cum loco "exclusivo" habet ecclesia exempta regularium: in ea parochus nulla gaudet potestate, et de ea dicitur, quod ratione exemptionis, non est de territorio; attamen, omnes auctores admittunt parochum loci posse in illa ecclesia et suposita licentia superioris regularis ad licite agendum, matrimonio valide assistere, quia est in territorio (22). Fundamentum huius solutionis in eo est, quod in novo iure et in ordine ad validam assistentiam matrimoniis admissum fuit principium de competentia territoriali, loco antiqui principii de competentia personali parochi proprii (23).

Quoniam idem principium de competentia territoriali receptum quoque fuit a novo iure orientali, videri poterat quod etiam ei illa eadem latina explicatio erat applicanda. Attamen, apud orientales aliquam iam habebatur controversia, praesertim relate ad confessiones excipiendas, quae post promulgatos canones de Matrimonio iterum agitata est.

(20) GASPARRI: *De Matrimonio*, ed 2, n. 976; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 535; CAPPELLO: *De Matrimonio*, ed. 6 (1950), n. 665; REGATILLO: *Ius Sacramentarium*, ed. 2 (1949), n. 1376.

(21) GASPARRI, o. c., l. c.

(22) CAPPELLO, l. c.; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 534; REGATILLO, o. c., n. 1375.

(23) GASPARRI, o. c., n. 975; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 534; REGATILLO, o. c., n. 1375; CAPPELLO, o. c., n. 665.

Clare P. COUSSA admittit, in locis ubi diversi ritus Hierarchae et parochi constituti sunt, aliquos locos exclusivae iurisdictionis Hierarchae unius ritus cum exclusione Hierarchae alterius ritus. Istos locos, cum de validitate sit quaestio, restringit ad eos qui stricto sensu determinati ritus: uti sunt, ecclesiae, episcopium, domus paroecialis, nosocomium, scholae episcopales stricte tales, i. e. auctoritate Episcopi conditae praecipue pro sui ritus fidelibus. Et concludit: "parochus, ergo, extra propriae paroeciae loca invalide (omissa delegatione) suorum matrimoniis assistit; debet enim, *in proprio* territorio esse" (24). In confirmationem suae interpretationis appellat ad duo responsa a Sacris Congregationibus pro Ecclesia Orientale et de Propaganda Fide anno 1932 in ordine ad confessiones excipiendas data (25), quae P. COUSSA ad matrimonium trahit.

Aliter sentiebat clare P. GALTIER, qui, admissis illis locis ad determinatum ritum pertinentibus, negabat tamen restrictionem iurisdictionis; potius admittebat quamdam potestatem cumulativam, etsi ad licite eam exercendam in huiusmodi locis necessariam dicebat licentiam Ordinarii vel parochi vel rectoris (26). Iuxta P. GALTIER illa restrictio iurisdictionis [in sensu a P. COUSSA proposito] caret fundamento iuridico in novo iure canonico orientali (pp. 296-297), et contradicit principiis saepe a Sancta Sede et a conciliis orientalibus modernis proclamatis (pp. 297-299).

Haec controversia, praeterquam quod saepe causa erat confusionis, periculum creabat multa matrimonia invalide inundi. Quare, causa ad Romam delata, Commissio ad redigendum Codicem Iuris Canonici Orientalis, die 8 iulii anni 1952, responsum circa hanc materiam edidit. Propositum est: "D. I.—An vi canonis 86, § 1, n. 2 parochus et loci Hierarcha intra fines sui territorii licite et valide assistant matrimonio fidelium sui ritus etiam in locis quae sunt exclusive alius ritus, dummodo adsit expressus consensus Ordinarii, vel parochi, vel rectoris praedictorum locorum. Resp.: Affirmative. D. II.—Utrum interpretatio data in responsione ad I sit declarativa an extensiva. Resp.: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam. De speciali mandato Sanctissimi" (27).

Scopus primarius huius Responsi, quod praeter orientales, etiam latinos mediantibus orientalibus attingit, fuit occurrere difficultati in qua

(24) COUSSA: *Epitome praelectionum de iure ecclesiastico orientali. De Matrimonio* (1950), p. 197. Hanc opinionem tenuit quoque P. ELIE NIJME, apud "Proche-Orient Chrétien", 1952, pp. 69-74.

(25) SYLLOGE, Typ. pol. Vaticanis (1939), docum. 173 (Congreg. p. E. O., 26-VIII-1932), p. 444; docum. 175 (Congreg. de P. F., 2-XII-1932), p. 448.

(26) GALTIER, o. c., pp. 294 ss.

(27) A. A. S. (1952), 552. Declarationem huius Responsi a P. HERMAN exaratam inventes in "Monitor Ecclesiasticus" (1952), pp. 421-428. Similis declaratio pro exercitio potestatis iudicialis facta est die 8 ianuarii an. 1953 (A. A. S. [1953], 105).

inveniri potest Ordinarius vel parochus assistendi matrimonio suorum fidelium in loco ubi non exstat ecclesia proprii ritus. Exempli gratia, Hierarcha loci melchita beritensis matrimonio assistere debet suorum fidelium in oppido in quo sola ecclesia maronita habentur. Parochus maronita qui praest parociae huius ritus in dioecesi Rio Janeiro erectae, quaeve totam dioecesim complectitur, non raro matrimoniis suorum fidelium assistere debet in oppidis aut etiam in urbibus ubi fortasse non nisi ecclesia latina praesto est. Nec Hierarcha ille melchita propria auctoritate poterat illi matrimonio assistere in ecclesia maronita, necque ab huius parochi opportunitatem recipere, quia hic non poterat assistere ne intra quidem proprium territorium matrimonio fidelium ritus diversi a proprio. Eadem de causa ille parochus maronita in Rio Janeiro nec poterat intra ecclesiam latinam assistere, neque a parochi latino debitam facultatem obtinere.

Vi allati Responsi sufficienter huic difficultati provisum est, quatenus Ordinario et parochi, qui in aliquo loco exclusivo alius ritus intra suum proprium territorium (dioecesim vel parociam) sito suorum fidelium matrimonio assistere vult aut tenetur, facultas fit a iure, praesupposito, tamquam condicione, expresso consensu Ordinarii, vel parochi vel rectoris illius loci exclusivi: et hac facultate Ordinarius vel parochus illi matrimonio proprio iure assistunt. Et hoc est magnum discrimen inter disciplinam ante et post Responsum vigentem: ante Responsum, etiam supposito illo consensu Ordinarii, vel parochi vel rectoris loci exclusivi non habebatur competens facultas assistendi; post Responsum, illo consensu dato, ipso iure conceditur facultas valide assistendi.

In isto Responso aliud quoque expresse affirmatur, scilicet existentia locorum qui, in aliquo territorio cumulative possesso, exclusive alicui ritui ita subsunt, ut in iis Hierarcha vel parochus alius ritus matrimonio assistere non valeant, nisi ad normam eiusdem Responsi.

Ergo illa locutio canonis "intra fines dumtaxat sui territorii", pro orientalibus inter se, et etiam pro orientalibus cum latinis, nequit accipi in illa ampla significatione quam apud auctores latinos habet; sed potius restrictionem subit illis locis exclusivis, qui eo ipso, etiamsi materiali sint in territorio, formaliter sunt extra fines proprii territorii, quatenus in iis Hierarcha et parochus alius ritus quacumque carent potestate.

B) *Modo sint sui ritus*

Ordinarius vel parochus intra fines sui territorii, iuxta ea quae modo diximus intellecti, possunt matrimoniis valide assistere, sive contrahentes

sint eorum subditi, sive non sint subditi. Et sub hoc respectu, ius latinum et ius orientale inter se non differunt. At in iure orientali novum aliquod requisitum, in Codice Iuris Canonici non postulatum, exigitur, quod ipsam matrimonii validitatem afficit, nempe, ut contrahentes, aut unus saltem eorum (28), ad ritum Ordinarii vel parochi assistentis pertineant (can. 86, § 1, n. 2). Ratio huius specialis requisiti ita declaratur a P. HERMAN: "Ubi enim plures ritus una vivunt, ad bonum ordinem omnino necessarium est ut fideles actum tam gravem quod est matrimonium, coram parochio proprii ritus perficiant" (29). Huic rationi P. COUSSA aliam addit: "Iurisdic-tio, enim, et si certo territorio circumclusa sit, exerceri directe, ordinario, non potest nisi in sui cuiusque ritus subditos... Propter contractus individuitatem, sufficit ut coniugum alteruter eiusdem sit ritus ac parochus" (30).

Id tamen est notandum, quod condicio de identitate ritus nupturientium cum Ordinario vel parochio, intelligenda est de Ordinario vel parochio, qui iure proprio competentes sunt ad matrimonio assistendum; non autem necessario requiritur in sacerdote ab alterutro fortasse delegato, qui potest esse cuiusvis ritus, etiam diversi a ritu vel a ritibus nupturientium. Parochus ruthenus potest delegare sacerdotem latinum vel melchitam, vel coptum, etc., qui matrimonio duorum ruthenorum in ecclesia ruthena assistat.

Ut ista condicio identitatis ritus verificetur, duo sunt attendenda. Primum, prout ex supra dictis satis elucet, non sufficit aequalitas fundamentalis rituum, seu, non sufficit quod duo ritus (parochi et nupturientium), etsi inter se diversi, sub uno communi principali ritu, v. g. byzantino, inveniantur, sed requiritur ut identitas verificetur in ritu particulari seu derivato. Parochus melchita nequit valide assistere matrimonio duorum ruthenorum, vel duorum romenorum, quamvis omnes ii tres ritus, utpote byzantini, fundamentaliter iidem sunt; posset sit unus saltem contrahentium ad ritum melchitam pertineret. Alterum est, quod hic agitur de ritibus catholicis tantum, non autem de ritibus dissidentium. Quare si contrahentes ambo, vel unus saltem eorum, sint, ex. gr. ritus romeni dissidentis, et parochus catholicus sit etiam ritus romeni, haec identitas ritus

(28) HERMAN: *Adnotationes ad M. p. "Crebrae allatae sunt"*, l. c., pp. 112-113; COUSSA, o. c., p. 197; GALTIER, o. c., p. 239.

(29) HERMAN, l. c., p. 112.

(30) COUSSA, o. c., p. 197. Rationes ab iis auctoribus allatae fortasse non probant nisi convenientiam identitatis ritus, non autem eius necessitatem, ita ut valor matrimonii ad hoc requisito necessario pendere debeat. Eo vel magis, quod apud orientales non vigeant neque eadem sententia de hac re, neque eadem praxis. In supra allatis Decretis pro graeco-ruthenis in Americ. Sept. et in Canad. nullibi praescribitur, ut matrimonium, sub poena nullitatis, coram Ordinario vel parochio proprii ritus celebretur.

non attenditur, aut saltem non sufficit, et iste parochus proprie dici nequit parochus eorum eiusdem ritus.

Ergo, si neutra pars pertineat ad ritum Ordinarii vel parochi orientalis, hic non solum non potest valide eorum matrimonio assistere, sed neque potest alium delegare, qui eidem matrimonio assistat, ne quidem in propria ecclesia orientali cui ut parochus praeest: delegare potest is solus qui proprio iure matrimonio assistere valet (can. 87, § 1, n. 1). Haec praescriptio de ritus identitate ad Ordinarium vel parochum latinos est extendenda, quoties contrahentes, quorum matrimonio assistere debent, ad ritum orientalem pertinent: agitur, enim, de lege interrituali, quae, etsi directe et immediate pro orientalibus sit lata, attingit quoque latinos indirecte et mediantibus orientalibus, quoties illi cum iis hoc negotium de matrimonio peragere debent.

Ex hoc peculiari requisito de identitate ritus graves difficultates in praxi facile enasci possunt, ubi praesertim sacerdotes proprii ritus desunt: ex. gr. apud ruthenos Americae Septentrionalis, qui, si ibi Hierarcham proprii ritus habent, multis in locis proprio parochi tamen carent; in Hispania, ubi non sunt Hierarchae, neque, quantum scimus, parochi orientales; si duo fideles orientales matrimonium inire cupiunt, quo pacto erit procedendum in his casibus? Quisnam huiusmodi matrimoniis assistere valet? Principia solutionis inveniuntur in eodem canone orientali 86, § 3, nn. 2-3, cuius summariam declarationem proinde necessariam aestimamus.

Posito principio in § 2 statuto, quod "matrimonio fidelium diversi ritus valide assistit Hierarcha loci et parochus qui ad normam § 3, nn. 2-4, est eorum proprius Hierarcha vel parochus", diversae hypotheses fieri possunt, quas hic ordinem canonis secuti declarabimus.

Prima: Si fideles unius ritus in loco commorantur, ubi propria exstat Hierarchia, et consequenter proprium sui ritus Hierarcham habent, sed parochi sui ritus carent, ille Hierarcha loci debet nominare alius ritus parochum, qui eorum curam suscipiat, postquam idem Hierarcha habuerit consensum Hierarchae parochi designandi (can. 86, § 3, n. 2). Id accidere potest, non solum in regionibus orientalibus, sed etiam in territoriis orientali ritus, ex. gr. in America Septentrionali, ubi constituti sunt Exarchi Apostolici rutheni, qui pro ruthenis sunt Hierarchae proprii in toto territorio Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis; sed non in omnibus urbibus et locis erectae habentur paroeciae ritus rutheni (31).

(31) In Brasilia peculiari modo ordinata est disciplina de spirituali assistentia orientalium fidelium, Decreto S. Cong. p. E. O., diei 14 nov., an. 1951, A. A. S. (1952), 382-383. Constitutus est unus Ordinarius, pro omnibus fidelibus rituum orientalium, in illa natione degentibus, Em. mus Card. de Barros Camara, Arch. Rio Janeiro, praeditus omnibus facultatibus, quibus hu-

In his adiunctis ille Exarchus Apostolicus ruthenus potest proprio iure valide assistere matrimoniis duorum ruthenorum, aut si unus saltem contrahentius est ruthenus, etiam non subditorum, *in toto suo exarchatu*; et hodie, vi Responsi diei 8 iulii 1952, etiam in locis exclusivis alius ritus, v. gr. in ecclesia latina, sed post obtentus consensum expressum parochii vel Ordinarii latini. Et *in eodem suo exarchatu* potest delegare quemlibet alium sacerdotem, etiam alius ritus, ad normam canonis 87, § 1, n. 1, ut matrimonio duorum ruthenorum, vel si unus saltem contrahentium est ruthenus, assistat. Ipse enim est Ordinarius loci illius.

Similiter parochus ille latinus, quem, ex hypothesis, Exarchus ruthenus pro fidelibus ruthenis ad normam canonis 86, § 3, 2 designaverit, potest proprio iure matrimonio duorum ruthenorum, aut si unus saltem nupturientium sit rutheni ritus, valide assistere, sed aliter ac in casu Exarchi, sive in ecclesia latina sive in ecclesia ruthena in loco fortasse existenti, quia eius potestas, etsi diverso titulo, ad utrumque locum extenditur. Et in hoc *duplici loco* potest quoque alium delegare. Praeterea, vi supradicti Responsi, potest quoque huic matrimonio assistere etiam in ecclesia romenorum, quorum curam ipse, ad normam canonis 86, § 3, n. 2, non habet.

At hic quaeri potest, an ille Ordinarius vel parochus unius ritus, qui, post obtentum consensum, habet facultatem assistendi matrimonio duorum suorum fidelium etiam in loco alius ritus exclusivo ad normam Responsi saepe allati, possit quoque alium delegare qui ibidem illi matrimonio assistat.

Huic quaesito nunc affirmative respondendum est, quia, posito consensu iuxta Interpretationem authenticam diei 8 iulii 1952 requisito, Ordinarius vel parochus propria auctoritate matrimonio assistunt, ac proinde possunt quoque facultatem delegatam alteri concedere, ad normam canonis 87, § 1, n. 1. Illa, enim, facultas quam iidem, post obtentum consensum, a iure recipiunt, natura sua est delegabilis. Verum est canonem 87, § 1, n. 1, istam facultatem delegandi restringere clausula "intra fines sui territorii", sed locus exclusivus qui in Interpretatione diei 8 iulii 1952 consideratur, etiam "intra fines sui territorii" materialiter invenitur. Quod semper prae oculis habendum est, quoties de iis locis exclusivis est quaestio. Considerantur, enim, loci exclusivi alius ritus, non quicumque, sed ii soli qui sunt in proprio territorio. Aliunde, ipsa Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali in epistula quadam diei 27 novembris 1952 ("The Jurist", 1953,

etiam singuli Ordinarii latini brasilienses pro fidelibus orientalibus fruebantur. Ordinarius facultatem habet nominandi Vicarios Generales. Ubi, vero, deest sacerdos deputatus pro fidelibus rituum orientalium, "parochus loci bono spirituali istorum fidelium ipse provideat, facultatibus tamen ab Ordinario pro fidelibus rituum orientalium in Brasilia degentibus obtentis".

pp. 124-125) clare affirmat hanc potestatem delegandi haberi a parochio qui, post legitimum consensum praestitum a superiore loci exclusivi, matrimonio suorum fidelium in eodem loco iure proprio assistere potest. Quod si solutiones ab eadem Sacra Congregatione in epistula diei 11 iulii 1952 propositae istam facultatem delegandi potius reiiciebant, id proveniebat ex eo quod, in illis solutionibus proponendis, ius ante Declarationem diei 8 iulii 1952 vigens adhuc fuerat consideratum.

Secunda: Si fideles unius ritus orientalis commorantur ubi propria hierarchia carent, quia ibi nondum instaurata est, dicuntur versari extra territorium proprii ritus (M. p. *Postquam Apost. Litteris*, can. 303, § 3, n. 3, A. A. S. [1952], 144). In hac condicione versantur omnes orientales in Hispania, in pluribus nationibus Europae et Americae Meridionalis et in aliis quampluribus locis. In defectu, igitur, propriae hierarchiae, quisnam erit istorum fidelium proprius Ordinarius? Huic quaestioni respondit canon 86, § 3, n. 3: "Extra territorium proprii ritus, deficiente huius ritus Hierarcha, habendus est tamquam proprius, Hierarcha loci. Quodsi plures sint, ille habendus est tamquam proprius, quem designaverit Sedes Apostolica vel, obtento eiusdem consensu, Patriarcha, si iure particulari cura fidelium sui ritus extra patriarchatus commorantium ei commissa est."

Ergo Ordinarius loci proprius pro fidelibus ritus orientalis Matriti, aut Barcinone in Hispania degentibus, erit Ordinarius Matritensis aut respective Barcinonensis; qui consequenter intra suum territorium respectivum possunt valide assistere (et alium delegare) matrimoniis quorumlibet orientalium. Ubi vero plures sunt Hierarchae loci, ut v. g. accidit in urbe Beritensi (Beyrouth) aut etiam in Canada, ille erit Ordinarius proprius, non quem singuli fideles ad libitum sibi elegerint, sed potius quem designaverit Sancta Sedes, et Ordinario designato iura propria Ordinarii proprii relate ad istos fideles competunt. Quod, ut patet, prae oculis habere debent etiam ipsi Ordinarii locorum, ne actus aliquos qui orientales afficiunt invalide ponant.

Quisnam vero erit, in iisdem adiunctis, istorum fidelium parochus? Duos quoque casus possumus considerare: vel in loco habetur paroecia erecta pro fidelibus determinati ritus orientalis, ex. gr. paroecia pro maronitis in dioecesi Rio Janeiro (Brasilia), vel nulla exstat paroecia orientalis. Si prima (et fideles ex hypothesi Ordinario latino subiiciuntur; quod ceterum ad alios Ordinarios diversi ritus a ritu fidelium est applicandum), in ista paroecia, praeter Ordinarium loci latinum, ut ex dictis constat, solus parochus ritus potest propria auctoritate matrimonio duorum maronitarum valide assistere.

Parochus autem latinus, in cuius territorio paroecia maronita invenitur, potest quidem matrimonio maronitarum assistere, non qua parochus, et propria ordinaria auctoritate, sed vi delegationis concedendae aut ab Ordinario loci, qui ex hypothesis est Ordinarius etiam maronitarum fidelium, aut a parochus maronita, qui istam delegationem concedere valet, ut latinus matrimonio maronitarum assistat sive in ecclesia maronita, ut patet, sive etiam in ecclesia latina, in qua ipse parochus maronita, obtento expresso consensu a parochus latino, proprio iure illi matrimonio assistere per se posset.

Si alterum, scilicet, si nulla habeatur paroecia proprii ritus orientalis, quaeritur an habendi sint ipso facto ut tales parochi latini Ordinario loci latino subiecti, ex. gr. parochi Matritenses aut Barcinonenses in exemplo supra allato, an potius speciali facultate indigeant? "Textus [canonis orientalis supra allati] loquitur de Hierarcha, de parochis verbum non facit. Nihilominus, inquit P. HERMAN, nobis canon ita interpretandus videtur, ut, quae de Hierarcha dicuntur, intelligantur etiam de sacerdotibus ab eo dependentibus. Ita parochus latinus, v. gr., in regione mexicana [et idem dici potest de Hispania], ubi sola hierarchia latina existit, eo ipso curam habet orientalium syrorum qui in eius paroecia commorantur, nisi Hierarcha aliter disposuerit; idque etiam antequam Hierarcha latinus expresso Decreto curam ei commiserit. Si enim semper peculiare Decretum exspectandum esset, saepe non provisum esset necessitatibus fidelium orientalium qui variis vicissitudinibus in regiones latinas conducti sunt" (32). Ergo, parochus latinus, etiam ante Decretum speciale Ordinarii latini (post Decretum latum, huius praescriptionibus standum erit), potest se gerere tamquam vere proprius parochus fidelium orientalium, eorumque matrimoniis proprio iure valide assistere.

Quod si in loco plures sint parochi diversi ritus, v. g., latinus et maronita, neuter parochus potest sibi vindicare aliquod ius praecedentiae erga aliorum rituum fideles (ruthenos, melchitas, etc.), qui sedem in loco fixerint. Ordinarii loci est unum designare, eique curam fidelium proprio parochus carentium committere.

Ad complenda ea quae hucusque dicta sunt, addimus numeros 4-5 eiusdem § 3 canonis 86: "4.º Proprius vagi parochus vel Hierarcha est sui ritus parochus vel Hierarcha loci ubi vagus actu commoratur; deficiente parochus vel Hierarcha sui ritus, serventur normae in nn. 2, 3 statutae;

(32) HERMAN: *Adnotationes ad M. p. "Crebrae allatae sunt"*, l. c., pp. 114-115; COUSSA o. c., p. 199.

5.º Illorum quoque qui non habent nisi eparchiale domicilium vel quasicomicilium, parochus proprius est parochus loci in quo actu commorantur”.

Iis vero praemissis, restat ut de singulis responsis in Litteris Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientale contentis brevem reddamus rationem.

III

DECLARATIO SINGULARUM SOLUTIONUM

Ad Primum: a) “Matrimonii convalidatio facienda est coram parocholatini ritus”. Id est, coram parocholatino latinae mulieris, quae est sola pars catholica. Quoniam vero vir est dissidens, eius ritus orientalis hic non consideratur, aut saltem plene cedit ritui partis catholicae. Hac de causa, parochus orientalis, qui fortasse est in loco, cum ipse non sit parochus eorum, neque, ut ex dictis constat, sit eiusdem ritus, nullum ius relate ad hoc matrimonium potest sibi vindicare, neque propria auctoritate potest eidem matrimonio assistere; posset quidem qua delegatus a parocholatino sive in ecclesia latina, sive in ecclesia orientali. Animadvertimus, etsi non necessarium, canonem 1.097, § 2 Codicis Iuris Canonici, cuius fit mentio in dubio, ad rem non facere, siquidem in eo agitur de licita celebratione, et supponitur ambas partes, etsi diversi ritus, esse catholicas.

b) “Proles antea suscepta ritui latino adscribenda est (can. 756, § 3 C. I. C.)”. Etenim, ante matrimonii legitimationem, filii baptizandi erant ritu latino matris catholicae, tum quia illegitimi, tum quia eorum pater acatholicus erat. Posita autem matrimonii convalidatione, filii, etsi pater eos tamquam suos agnoscat, eorumque curam in se suscipiat, ut in casu iure praesumitur, conservant ritum semel susceptum; inter effectus convalidationis matrimonii non recensetur ritus mutatio. Quod a fortiori adhuc valet, si pater etiam post matrimonium convalidatum in schismate permaneat. Quid vero de prole postea fortasse suscipienda, non dicitur. At ex dictis clara erit solutio. Matrimonio convalidato, et patre orientali in schismate manente, filii, vi canonis 756, § 3 Codicis Iuris Canonici, baptizandi erunt secundum ritum latinum catholicum matris, quae, aliunde, in hac hypothesi, nequit, saltem propria auctoritate, ad ritum orientalem transire. Quod si pater ad fidem catholicam converteretur, filii baptizandi essent ritu orientali patris, salvis exceptionibus de quibus supra.

Ad Secundum: “Parochus latini ritus facultatem concedat sacerdoti orientalis ritus assistendi matrimonio de quo in casu in ecclesia latina aut

in loco suae iurisdictionis. Haec facultas ad validitatem et ad liceitatem necessaria est". Quia in casu habentur duo ritus, quorum unus dissidens et alter catholicus est, patet ius assistendi huic matrimonio competere exclusive parochi partis catholicae, quae in hoc casu est ritus latini; ergo illud ius competit soli parochi latino, qui potest quoque intra suum territorium (in ecclesia latina, in domo paroeciali, etc.) alium, etsi orientalis ritus, delegare. Responsum Sacrae Congregationis in epistula diei 11 iulii 1952 supponit parochum latinum non posse extra suam ecclesiam latinam aut locum suae iurisdictionis delegationem parochi orientali concedere; at hoc responsum hodie mutandum est ad normam Declarationis authenticae diei 8 iulii 1952, vi cuius parochus latinus, qui post obtentum consensum parochi orientalis, potest matrimonio suorum fidelium ritus latini etiam in ecclesia orientali assistere, potest quoque parochum orientalem, ut in eadem ecclesia idem matrimonium latinum benedicat, delegare.

In citato responso Congregationis additur, hanc facultatem, quam parochus latinus concedit parochi orientali ut in ecclesia latina matrimonio duorum latinorum assistat, esse ad validitatem et ad liceitatem necessariam. Quoad liceitatem, patet. Quoad validitatem etiam constat, quia parochus orientalis, cum non sit nupturientium parochus proprius, neque eiusdem sit ritus, caret quolibet titulo ad istud matrimonium proprio iure benedicendum sive in ecclesia latina sive in ecclesia orientali.

Ad Tertium: Solutio huius casus supponit Titium et Annam, qui fuerant in ritu orientali legitime baptizati, orientales manere, non obstante constanti frequentia ecclesiae latinae, eosque subiici legibus matrimonialibus pro orientalibus latis. Ergo male egerunt sive parochus orientalis sive parochus latinus, ut ex supra dictis et ex modo dicendis clare apparebit.

a) "Si in territorio adsit paroecia canonice erecta ritus contrahentium et nupturientes subditi sint Ordinario loci latini ritus, parochus ritus latini nequit valide matrimonio assistere sine facultate eiusdem loci Ordinarii." Agitur de matrimonio duorum orientalium coram parochi latino et in ecclesia latina celebrando. Parochus orientalis, quia est proprius parochus contrahentium, poterat alium delegare, sed non extra fines suae iurisdictionis, ut est ecclesia latina; parochus latinus non poterat in sua propria ecclesia latina huic matrimonio assistere quia non est eorum parochus, neque nupturientes sunt sui ritus. Non restat nisi facultatem petere ab Ordinario loci latini, quia hic est Ordinarius proprius nupturientium, quorum matrimonio proprio iure poterat assistere in toto territorio; consequenter etiam alium delegare in eodem integro territorio, sive in ecclesia latina sive in ecclesia orientali. At haec solutio valebat pro tempore ante Declarationem authen-

ticam diei 8 iulii 1952; hac, autem, promulgata, solutio contenta in epistula Sacrae Congregationis diei 11 iulii 1952 corrigenda est hoc pacto, scilicet, parochus latinus delegatam facultatem recipere potest, praeterquam ab Ordinario latino loci, etiam a parrocho orientali, et quidem ut matrimonium benedicat sive in ecclesia orientali, sive, ut ex dictis constat et vi allatae Interpretationis, in ecclesia latina, quia, ut ait Congregatio pro Ecclesia Orientali in epistula diei 27 novembris 1952, ad I, quod enim facere potest per se, de consensu expresso rectoris ecclesiae latini ritus in eodem territorio existentis, facere potest per alium.

b) "Quod si in eodem territorio adsit Hierarcha loci ritus nupturientium, facultas matrimonii celebrandi coram parrocho latino et in ecclesia latina a Sancta Sede concedenda est." Notetur id quod dicitur in solutione: "coram parrocho latino et in ecclesia latina". Supponitur in territorio esse paroeciam ritus nupturientium, aut saltem parochum latinum non habere curam fidelium illius ritus. Hic parochus, igitur, non est per se competens ad assistendum eorum matrimonio. Hanc vero competentiam, attento iure ante saepe allatam Interpretationem vigente, parochus non poterat recipere neque a Hierarcha orientali nupturientium, neque ab eorundem parrocho orientali, quia ii in loco exclusivo latino delegare non poterant, sicut nec poterant per se matrimonio orientali ibi assistere; neque ab Ordinario latino, quia et ipse, cum non esset nupturientium Ordinarius proprius, incompetens erat ad eorum matrimonium propria auctoritate benedicendum. Consequenter necessario ad Sanctam Sedem erat recurrendum. At Interpretatio authentica canonis 86, § 1, n. 1, diei 8 iulii 1952, ius ita mutavit, ut recursus ad Sanctam Sedem deinceps iam non sit necessarius: parochus enim orientalis potest consensum parrochi latini impetrare ad matrimonium suorum fidelium orientalium in ecclesia latina benedicendum, et, consensu obtento, ipsum parochum latinum vel alium quemvis sacerdotem delegare.

Ad Quartum: "Titius ad ritum latinum certe adscriptus est". Iniuria enim fuit tali baptismo initiatus, et isto illegitimo facto Titius non potuit privari iure ab ipsa nativitate possesso, ut baptizaretur baptismo catholico matris; neque arbitraria et iniusta actione patris nequit irrita fieri solemnitas praescriptio canonis 756, § 3 Codicis Iuris Canonici. Consequenter Titius ad ritum latinum pleno iure pertinet, nec ullo vinculo ritui orientali alligatur. Ergo eius cum catholica latina matrimonium omnino iuxta Codicem Iuris Canonici erit celebrandum.

CLEMENS PUJOL, S. I.

Catedrático en el "Pontificium Institutum Orientale"